



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvr gensis

Continens. Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiariam, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Ego Innocentius Catholicae Ecclesiae Episcopus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13591

fratres communi consensu, aut pars sanioris consilij secundum Dei timorem & B. *Augustini* regulam canonicè prouiderint eligendum. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse concedimus, vt eorum, qui se illic sepeliri deliberauerunt extremæ voluntati & deuotioni nullus obliſtat, nisi fuerint excommunicati, saluâ tamen iustitiâ matris Ecclesiæ.

Decernimus ergò vt nulli omnino hominum liceat præfatum Cœnobium temerè perturbare, aut eius bona vel possessiones auferre, vel ablatas temerè retinere, minuere, seu quibuslibet indebitis exactionibus, vel molestiis fatigare: sed omnia integra conseruentur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt vsibus omnimòdis profutura, salua nimirû *Salzburgensis* Archiepiscopi, & *Patauiensis* Episcopi debita iustitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisue persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam venire temerè tentauerit, secundò, tertio uè commonita, si non satisfactione congrua reatum suum correxerit, potestatis honorisq; sui dignitate careat, eamq; se diuino iudicio existere, de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremò examine districtæ ultioni subiaceat. Addentes etiam interdiximus, vt nemini professionis vestrae facultas sit alicuius leuitatis instinctu, vel arctioris religionis obtentu sine Præpositi, vel congregationis licentia de clauſtro discedere. Quod si discesserit, nullus Episcoporum, nullus Abbatum, nullus monachorum sine communium, literarum cautione eum suscipiat, quamdiu videlicet in Ecclesia vestra Canonici ordinis tenor Domino præstante vigerit. Si verò secundò vel tertio vocatus redire contempserit, liceat eiusdem loci Præposito canonicam in eum proferre sententiam. Cunctis autem eidem Ecclesiæ iusta seruantibus, sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Iudicem præmia æternæ retributionis inueniant Amen.

Ego *Innocentius* Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Ego *Conradus Sabinensis* Episcopus. Ego *Albericus Hostiensis* Episcopus. Ego *Stephanus Prænestinus* Episcopus. Ego *Otto* Diaconus Cardinalis S. *Georgii* ad velum aureum. Ego *Martyrius* presbyter Cardinal. Tituli S. *Stephani*. Ego *Boëtius* presbyter Cardinal. Tit. S. *Clementis*. Ego *Petrus* presbyter Cardinal. de Tit. *Pastoris*. Ego *Hubaldus* presbyter Cardinal. Tit. S. *Braxedis*. Ego *Hubaldus* presb. Cardinal. Tit. SS. *Ioannis & Pauli*. Ego *Vasallus* Diac. Cardinal. S. *Eustachij*. Ego *Petrus* Diac. Cardinal. S. *Maria* de porticu. Dat. *Laterani* VI. Id. Ian. per manum *Gerardi* S. Rom. Eccl. presbyteri Card. & Bibliothecarij, Indi. V.

IN NOMINE sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Ego *Luitpoldus* Dux *Bauuaria*rum Dei gratia cupiens hereditare beatitudinem, de qua dicitur, Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, egendum & pauperum Christi in Cœnobio *Richerspergensis*, Deo militantium, intellexi paupertatem, simulque animaduerti quædam eorum prædia vastata, dum exercitus vel patre meo *Luitpoldo*, vel me ipso ducente per terras eorum iret ac rediret. Vnde commonitus à præfati Præpositi Cœnobio *Gerbobo*, ad vsus fratrum inibi Deo seruientium ac seruitorum ex nunc impoſterum tradidi duo beneficia in villa quæ dicitur *Laubes* cum omni vilitate ad illa pertinente. Scientes autem quod hilarem datorem diligit Deus, & hic sine dubio est hilaris dator, qui

Metrop. Salisb. Tom. III.

u

mensu-